

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber
specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

Caput XV. Quod in die transitus sui nulla anima Christiana intravit in
infernum.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](#)

in toto mundo qui libenter vellent celebrare, si scirent omnia beneficia sibi gratuito a Deo impensa. Hinc ad Offertorium interrogata quid ex hoc consecuta esset, ut ad Offertorium pro animabus offerret merita Jesu Christi et Sanctorum, illa inclinans se, dimittere videbatur canistra pixidibus plena, porrigens ea animabus in diversis pœnarum locis constitutis. De quibus qualibet pixidem cum magna hilaritate accipiens, mox ut ipsam aperuit, a pœnis omnibus est erepta, et in amœnissimæ requiei mansione collocata. Per canistra quæ animabus porrexit signabantur suæ virtutes; per pixides vero exercitationes virtutum quibus se per opera exercitavit: ut est humilitas, benignitas, compassio, et similia. Unde cum singula canistra ad singula pœnarum loca dirigeret, animæ ibidem commorantes, quæ aliquid unquam illius virtutis habuerunt in terris, meritis ipsius, de pœnis ad gaudia sunt translatæ. Sicque ad cumulum gaudii et gloriae suæ dilectæ, Dominus innumerabilem multitudinem animarum transvexit ad limina cœli. Et quas exigente justitia nondum decebat cœlestibus sociare, ob amorem tamen dilectionis suæ dignatus est amœnis sociare locis beatæ requiei.

Animas
purgatorii
liberat.

CAPUT XV.

QUOD IN DIE TRANSITUS SUI NULLA ANIMA CHRISTIANA
INTRAVIT IN INFERNUM.

Hoc idem de animarum liberatione aliis duabus divinitus est revelatum. Sed et una in Deo pro certo hoc cognovit: quod die illa cum felix anima ejus transiit, ex superabundantia benignitatis dulcissimi Cordis Christi,

nulla in toto mundo ex Christianis ad infernum descendit; quia omnes mali illa die decedentes, aut meritis tam felicis et Deo tam dilectæ animæ pœnitentiam sunt adepti ; aut si omnino tam perversi et indurati fuerunt, quod se omni gratia privaverunt, die illa Dominus eos a corpore non permisit exire, ne tam districtum judicium, in die tantæ solemnitatis et lætitiæ Cordis sui, in aliquam animam desæviret.

CAPUT XVI.

QUOD LAUS DEI-SUPER OMNIA EST QUÆRENDA, ET PURA
INTENTIONE FACIENDA.

ITEM in una Missarum visa est inter amplexus Domini delicate pausare; quam dum illa quæ hæc videbat¹ alloqui affectaret, Dominus brachia sua distendens, animam parumper dimittebat. Tunc vidit animam inefabili circumdatam gloria, habentem vestem præclaram, quasi de crystallis factam; quare quædam ut stellæ radabant, quædam ut specula perspicua erant: quæ singulæ aureis circulis erant inclusæ, et per quamlibet crystallum gemma elucebat. Quædam gemmæ rubei, quædam purpurei, quædam viridis erant coloris; aliæ diversos colores et species præferebant. Hæc vestis desubtus erat serica, et de bonis operibus et virtutibus animæ illius felicis erat perfecta. Per crystallos, ejus designabant opera; per circulos aureos, figurabatur quod omnia sua opera fecit in charitate. Per

Visio de
meritis et
virtutibus
B.Mechtildis

1. Illam quæ hæc videbat opinamur esse Sanctam Gertrudem, quæ quidem solet antea hujusmodi locutione dessignari, cuius quoque visionum series, post caput XV ubi revelatio duabus personis facta narratur, iterum in his verbis illa quæ hæc videbat resumitur, nec jam nisi opere absoluto, cessabit.